



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia VII. Et totum corpus oculis plenim in circuitu ipsorum quatuor.
Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea: & cùm
elevare[n]tur animalia de terra, elevabantur simul & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

terra eius in pice ardentem: nocte & die non extinguetur in sempiternum. Quam beatus quoque Job describit, dicens: Terram tenebrosam & opertam moris caligine, terram miserie & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. Habet staturam, cum per eam Dominus propitius pollicetur, dicens: Sicut cali novi & terra nova, que ego stare facio coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum. Illi enim veraciter coram Domino stant, qui vitam suam in pravitate non dissipant. Habet altitudinem, cum statim subdit: Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, & venit omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Quid est mensis, nisi perfectio dierum? Et quid est sabbatum, nisi requies, in qua fieri opus servile non liceat? Mensis ergo ex mense est; quia qui hic perfecte vivunt, illuc ad perfectionem glorie perducuntur. Sabbatum vero ex sabbato est, quia qui hic cessant a perverso opere, illic quiescunt in celesti retributione. Habet etiam horribilem aspectum, cum protinus adjungit: Et egredientur & videbunt cadavera virorum, qui pravaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum nunquam finire? De hoc horribili aspectu rotarum bene per Sophoniam dicitur, cum supervenire duris mentibus dies iudicij denuntiatur: Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies ira dies illa, dies inebriationis & angustie, dies calamitatis & miserie, dies tenebrarum & caliginis, dies nebula & turbis, dies rubra & clangoris. Sed quia exterioris rotæ dicta posuimus, restat nunc ut interioris quoque staturam, altitudinem, & horribilem aspectum profere debeamus. Habet quippe rota interior staturam suam, cum per sanctum Evangelium ad terrena desideria incurvare nos prohibet, Redemptoris nostri vocibus dicens: Attendite ut non graventur corda vestra in crapula & ebrietate, aut in curis hujus vite. Habet altitudinem, cum de eodem Redemptore promittit, dicens: Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid enim hac potestate altius, quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur filius creatoris? Habet horribilem aspectum, cum de reprobis loquitur, dicens: Ibunt hi in supplicium æternum. Habet staturam, cum Veritas discipulos admonet, dicens: Vendite qua possidetis, & date elemosinam. Facite vobis sacculos non veterascetes. Habet promissionis altitudinem, cum dicit: Veniens ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno calorum. Habet horribilem aspectum, cum subdit: Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Quibus rursus voce Veritatis dicitur: Vos in peccatis vestris moriemini. Habet staturam, cum primi pastoris vocibus dicit: Ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Habet altitudinem, cum pauld post dicit: Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & salvatoris nostri Iesu Christi. Qui rursus bonis pastoribus pollicetur, dicens: Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem glorie coronam. Habet horribilem aspectum, cum dicit: Advenies autem dies Domini ut fur, in qua cali magno impetu transiens, elementa vero calore solventur. Cum hæc igitur omnia conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cali ardentes solventur, elementa vero ignis ardore tabescent? Habet staturam, cum per Paulum nos ad terrenis desiderijs erigit, dicens: Mortificate membra vestra que sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, que est idolorum servitium. Habet altitudinem, cum promittit, dicens: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparbitis cum ipso in gloria. Habet horribilem aspectum, cum minatur, dicens: In revelatione Domini nostri Iesu Christi de celo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis, dantis vindictam his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi: qui penas dabunt in interitum æternas a facie Domini, & à gloria virtutis ejus. Habet staturam, cum nos admonet, dicens: Videte, ne quis alicui malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est, sectamini in invicem & in omnes. Habet altitudinem, cum promittit, dicens: Si commorimur, & convivemus: si sustinemus, & conregnabimus. Et rursum: Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis. Habet horribilem aspectum, cum minatur, dicens: Terribilis quidem expectatio iudicij, & ignis amulatio, qua consumptura est adversarios. Qui rursus ait: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Quæ omnia brevi quoque sententia stringit, dicens: Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, que sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Lata quippe est charitas, quia & inimicorum dilectionem capit, & per eam charitatem qua nos Deus omnipotens latè diligit, etiam longanimitè portat. Hoc ergo nos debemus exhibere proximis, quod indignis nobis à creatore nostro conspicimus exhiberi. Latitudo itaque & longitudo ad staturam pertinent; quia per amorem mores dilatat, ut fraterna mala charitas longanimitè portet. Sublimitas autem est æternorum illa remuneratio præmiorum, de cuius immanentate dicitur: Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que preparavit Deus diligentiibus se. Habet ergo in sublimitate altitudinem, quia æterna sanctorum gaudia nulla nunc prevalent cogitatione penetrari. Profundum quoque est illa inestimabilis damnatio suppliciorum, quæ eos quos susceperit, in ima demergit. In quibus sacra eloquia horribilem aspectum habent, quia inestimabilem terrorem audientibus incutunt, cum supplicia inferni loquuntur. Bene ergo dicitur: [Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus:] quia scriptura sacra in utroque Testamento & admonendo recta est, & promittendo alta, & minando terribilis. Hæc nos fratres charissimi, hodierna die largiente Domino dixisse sufficiat, ut ad differenda ea quæ subjuncta sunt, otio reparati redeamus, in auctore omnium Deo & Domino nostro Iesu Christo confidentes: qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VII.

Et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsorum quatuor. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota juxta ea: & cum elevarètur animalia de terra, elevabantur simul & rota. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rota pariter levabantur, sequentes eum. Spiritus enim vita erat in rotis. Cum euntibus ibat, & cum stantibus stabant: & cum elevatis à terra pariter elevabatur & rota, sequentes ea; quia spiritus vite erat in rotis. Et similitudo super caput animalium firmamenti.

quasi a speculis crystalli horribilis, extenti
super capita eorum desuper. Sub firmamento
autem penna eorum recta alterius ad alte-
rum. Unumquodque duabus alis velabat cor-
pus suum, & alterum similiter velabatur.

7. 6

Sicut nostis, fratres charissimi, consuetudo prophetae est nunc ista, nunc illa conspiciere, & ab aliis in aliud subito verba derivare: sicut Psalmista cum de Domino loqueretur, dixit: *Deus iudex iustus, fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies? Nisi convertamini, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & paravit illum: & in ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Repente subiungit: Concepti dolorem, & peperit iniquitatem: lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit. Ecce cum Domini narraret iustitiam, quasi non mutata voce, repente peccatoris intulit culpam. Quod unum me exempli causa dixisse sufficiat: quia quisquis in Prophetis usumlectionis habet, quam crebro ista faciant non ignorat. Unde nunc Ezechiel propheta cum de rotis loqueretur, adiunxit: [*Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsorum quatuor.*] Qui enim non ipsarum, sed ipsorum dixit, profecto indicat, quia repente sermo ejus à rotis ad animalia rediit. Per quae nimirum perfecti quique, ut praedictum est, designantur. Corpora itaque animalium idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspicienda est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Et hoc est laboriosius, quia sanctorum mens vehementer invigilat, ne se ante eorum oculos mala sub bonorum specie abscondant. Circumspicienda ergo est vita sanctorum, ne sic sit libera, ut superba sit: quia saepe superbia excedit in verbis, & videri appetit libertas puritatis. Ne sic sit humilis, ut formidolosa: quia aliquando timor restringit animum, & loqui quae recta sunt, non praesumat, sed tamen in ipsa timida cogitatione humilitatem esse se simulat. Ne sic sit parca, ut tenax sit: quia plerumque tenacia, parsimonia appetit aestimari, ut iuste ac necessarè videatur tenere, quidquid egerit proximo misericorditer non vult impendere. Ne sic sit misericors, ut effusa sit: quia nunquam effusionem esse misericordiam putat. Aliud enim est pietatis studio necessaria proximis dare, atque aliud ea quae possidentur, sine mercedis intentione dispergere. Quidquid ergo agitur, in radice intentionis pensandum est, quo merito apud iudicium creatoris habeatur. Unde & idem creator dicit: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Oculum videlicet intentionem, corpus verò actionem nominans. Quia si nostra intentio apud Deum simplex fuerit, in ejus iudicio nostra actio tenebrosa non erit. Igitur quia sancti viri solerter invigilant, ut se undique aspiciant, & ubique custodiant, ne aut mala propter ea ipsa appetant, aut haec eadem sub specie bonorum agant, scilicet ne se eis vitia virtutes esse mentiantur, totum corpus plenum in circuitu oculis habent: quia omnis eorum actio providentiâ sollicitudinis & repletur & circumdatur. Hinc est quoddam Paulus Apostolus dum cuidam poenitenti de perpetrato facinore Corinthios prospiceret voluisse misereri, ait: *Si cui aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus. Si enim parcendum erat, cur se humilitate tanta voluntati discipulorum magister egregius sociat, ut neque ipse à discipulis, neque ab eo discipuli in compassionis causa divisi viderentur: nisi quia sollicito providentiâ oculo attendit, quod plerumque dum alter donat, alter irascitur: Et quale est jam misericordiae sacrificium, quod cum discordia proximi of-***

Mar. 6. e

2. Cor. 2. c

feritur? Unde rectè ait: *Ut non circumveniamur à satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus.* Quia videlicet inde in alterius corde rixae malum solet immittere, unde alterum conspiciet pietatis negotium fecisse. Imperfectum enim bonum est, quod sic agitur, ut ne quid ei ex alio latere mali subrepat, non attendatur; nisi fortè hoc quod sine cuiuspiam scandalo fieri non potest, culpa sit non fecisse. Hoc verò ideo dicimus, ut notum vestrae dilectioni faciamus, quia in nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando verò pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens: *Reges terrae à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis? Cui cum diceretur, Ab alienis, illico respondit: Ergo liberi sunt filij. Sed postquam liberum se esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdidit: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum pisces qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da ei pro me & te.* Qui rursus cum diceret, quia omne quod in os intrat, non coinquinat hominem, tunc accedentes discipuli dixerunt ei: *Scis quia Pharisei, audito hoc verbo, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur. Sinite illos: caci sunt, & duces caecorum.* Ecce magistra veritas ne in quorundam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit tributum dedit: & rursus quia generari scandalum in quorundam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. Corpora ergo animalium plena sunt oculis, cum se hinc inde cautè circumspiciunt. Sed sciendum nobis est, quia saepe dum aliis rebus intendimus, fit ut alias negligamus; & ubi negligimus, ibi proculdubio oculum non habemus. Nam Phariseus ille, qui ascenderat in templum orare, testante Evangelio, quid dixit, agnovimus. Ait enim: *Deus gratias ago tibi.* Rectè autem gratias Deo agebat, à quo acceperat bona quae fecerat. Qui etiam subiungit: *Quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus: jejuno bis in sabbato, decimas de omnibus quae possideo.* Ecce ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum Phariseus habuerat, sed ad humilitatis custodiam oculum non habebat. Et quid prodest, quod contra hostium insidias pene tota civitas cautè custoditur, si unum foramen apertum relinquitur, unde ab hostibus intretur? Quid ergo prodest custodia quae pene ubique circumponitur, quando inimicis tota civitas per neglectum loci unius aperitur? Phariseus autem qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi pene per circuitum in suae civitatis custodia vigilavit. Sed quia unum in se foramen superbiae non attendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit. Quia ergo sanctorum mentes undique se circumspicientes invigilant, atque in omni suo opere pavoris & sollicitudinis oculum circumducunt, ne aut prava agant, aut recta quae praecipita sunt, non agant: aut bonis actibus expletis, in suis cogitationibus intumescant; & tantò gravius offendant, quantò iusti videntur foris, & occultius peccant; rectè dicitur: [*Totum corpus eorum plenum oculis in circuitu.*] Sciendum quoque, quod in translatione veteri non habetur: [*Totum corpus eorum plenum oculis in circuitu.*] sed dicitur: *Dorsum eorum plena oculis.* Quae videlicet sententia ab adificationis id-*

Mat. 17. d

Mat. 15. b

Luc. 18. b

relectu non discrepat. Ea enim quæ sunt in facie, sæpe etiam peccatores homines custodire solent. Iusti autem viri, quia se & in eis custodiunt quæ in promptu & in facie non videntur, in dorsis oculis habere referuntur. Qui ergo & ea quæ in occultis sunt discutiunt, atque ab ipsis se custodiunt quæ latent, profectò oculos in dorsis habent. Quod tamen intelligi & aliter potest, quia ea quæ sunt ante faciem nostram videmus, dorsa autem nostra alius in nobis videt, & nos videre non possumus. Quia autem sancti viri solemter se aspiciunt in quibus ab aliis judicari possunt, & districtè se vident, sicut sæpe districtè ab aliis videntur, qui in se nec ea quæ latere poterant ignorant, lumen in dorso portant. Sequitur: [*Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota juxta ea: & cum elearentur animalia de terra, elevabantur simul & rota.*] Ambulant animalia, cum sancti viri in scriptura sacra intelligunt quemadmodum moraliter vivant. Elevantur verò à terra animalia, cum sancti viri se in contemplatione suspendunt. Et quia unusquisque sanctorum quando ipse in scriptura sacra profecerit, tantò hæc eadem scriptura sacra proficit apud ipsum, rectè dicitur: [*Cum ambularent animalia, ambulabant pariter & rota: & cum elearentur animalia de terra, elevabantur simul & rota;*] quia divina eloquia cum legente crescunt: nam tantò illa quisque altius intelligit, tantò in eis altius intendit. Unde nec elevantur rotæ, si non elevantur animalia; quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta, velut in imis, non intellecta jacent. Cum enim legenti cuilibet sermo scripturæ factæ, si tepidus videtur sensus divini eloquij, ejus mentem non excitat, & in cogitatione sua nullo intellectus lumine emicat, rota & otiosa & in terra est, quia animal non elevatur à terra. At verò si animal ambulet, id est, bene vivendi ordinem querat, & per gressum cordis inveniat quemadmodum gressum boni operis ponat, ambulant pariter & rotæ; quia tantum in sacro eloquio profectum invenis, quantum apud illud ipse profeceris. Si verò pennatum animal sese in contemplatione tetenderit, rotæ protinus à terra sublevantur; quia terrena non esse intelligis, quæ prius in sacro eloquio juxta terrenum morem dicta credidisti. Fitque ut scripturæ factæ verba esse cælestia sentias, si accensus per contemplationis gratiam temetipsum ad cælestia suspendas. Et mira atque ineffabilis sacri eloquij virtus agnoscitur, cum superno amore legentis animus penetratur. Quia ergo animal ad alta se sublevat, rota volat. Sequitur: [*Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rota pariter levabantur, sequentes eum.*] Quò enim spiritus legentis tendit, illuc & divina eloquia levantur: quia si in eis altum quid videndo & sentiendo quaeris, hæc eadem sacra eloquia tecum crescunt, tecum in altiora ascendant. Bene autem de eisdem rotis dicitur: [*Sequentes eum.*] Legentis enim spiritus, si quid in eis scire morale aut historicum quaerit, sensus hunc moralis historiarum sequitur. Si quid typicum, mox figurata locutio agnoscitur. Si quid contemplativum, statim rotæ quasi pennas accipiunt, & in aëre suspenduntur; quia in verbis sacri eloquij intelligentia cælestis aperitur. [*Quocumque ergo ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rota pariter levabantur, sequentes eum.*] Rotæ enim spiritum sequuntur, quia verba sacri eloquij, ut sæpe jam dictum est, juxta sensum legentium per intellectum crescunt. In una enim eademque scripturæ sententia, alius solâ historiâ pacitur, alius typicâ, alius verò intelligentiam per typum contemplativam quaerit. Et fit plerumque, ut, sicut dictum est, in una eademque sententia cuncta simul tria valeant inveniri. Moyses enim cum de ardenti rubo vocatus fuisset, accessit propius ut videret visum, & ecce rubus ardebat, & non consu-

Exod. 3. a
Pnt. in
Exod. c. 5.

mebatur. Magnum est hoc miraculum. Si solam in eo historiam requiras, est unde legentis nutriatur animus, ut videas quòd in ligno ignis ardeat, & non consumatur. At verò si typicam intelligentiam quaeras, quid flamma, nisi legem, de qua scriptum est: *In dextera ejus ignea lex?* & quid rubus ille, nisi Judaicum populum designavit, peccatorum suorum spinis oblitum? Sed rubus ardens consumi non potuit, quia Judaicus populus & ignem quidem legis accepit, & tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, nec ejus vitia divini sermonis flamma concremavit. Fortasse in hoc factò alius majora per typum contemplari desiderat. Hujus quia sensus excrevit, elevantur pariter & rotæ. Inter homines enim perfectus homo factus est unicus Dei Filius, qui sua peccata non habuit, sed spinas nostræ nequitiae suscepit, atque usque ad passionem pro nobis se humiliare dignatus est, & in semetipso ignem tribulationis nostræ suscipere. Sed arsit, & non arsit: quia & ex humanitate est mortuus, & tamen immortalis ex divinitate permansit. Suscepit à nobis unde sacrificium fieret pro nobis, & tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis, ut nos commutaret à nostris. Alius fortasse in historia moralitatem, atque alius per allegoriam intelligentiam, contemplationem requirit. Patet eunctis juxta historiam, hoc quod in Lege scriptum est, ut turtur quæ pro peccato offertur, retorqueatur caput ejus ad pennulas, ita ut collo inhaereat, & non penitus obrumpatur. In quibus verbis dubius legentibus sensus historicus non est. Sed si hæc intelligere moraliter requiras, agitur rota, dum ad moralem intelligentiam ducitur sacri verbi sententia. Nos enim ipsi in omnipotentis Dei sacrificium esse turtur debemus, ita ut caput nostrum retorqueatur ad pennulas, id est, animus ad virtutes. Non enim immeritò per caput mentem intelligimus; quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit. Sed caput ad pennulas retorqueri præcipitur, ut ea quæ dicis facias, & os ad opera conjungas. Nec ita caput abscindendum est, ut à corpore dividatur, sed ex parte decisum, corpori suo jubetur inherere: quia videlicet mens nostra à carnali delectatione incidenda est, sed à carnis cura necessaria incidenda non est. Hinc enim scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in desideris.* Quæ ergo in desideris fieri prohibetur, proculdubio in necessitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abscissum est, & ex parte inheret; ut, sicut dictum est, & à voluptate carnis mens nostra incisa sit, & tamen à necessitate non sit abscissa. Quid, si hoc sacrificij genus sub typica Redemptoris nostri intelligentia alius ad contemplationem requirat? Ascendat ergo ad fortiora animus, eleventur animalia, ut eleventur pariter & rotæ. Quis enim caput nostrum est, nisi Redemptor generis humani? De quo scriptum est: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Quem cum Judæi persequerentur, nomen ejus delere de terra conati sunt. Cumque eum crucifixum & sepulchrum viderent, hunc se ab amore omnium divisisse crederunt. Sed caput turturis & incisum est, & tamen à suo corpore divisum non est; quia ex eo quòd pro nobis mortem pertulit, omnes nos sibi verius in ipsa sua morte conjunxit: & per hoc quòd se nostris oculis visibiliter subtraxit, nostris mentibus invisibiliter radicavit. Caput ergo turturis incisum inhaereat corpori, quia pro nobis quidem Redemptor noster passus est, sed à nobis separatus per passionem non est. Quia igitur dicta sacri eloquij cum legentium spiritu excreverunt, rectè nunc dicitur: [*Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rota pariter levabantur, sequentes eum.*] Et subditur: [*Spiritus enim vitæ erat in rotis.*] In rotis enim spiritus vitæ est, quia per sacra eloquia dono spiritus vivificamur, ut mortifera à nobis opera re-

Deut. 33. b

Aug. ser. 86.
Euseb. ser.
Spir. 4.

Levit. 1.

Ex. 1. b

Pat. in

Lev. c. 3.

Rom. 13. d

Ephes. 1. d

pellamus. Potest etiam intelligi, quia spiritus vadi-
dit, cum legentis animum diversis modis & ordi-
nibus tangit Deus, quando hunc per verba sacri elo-
quij modò in zelo excitans, ad ultionem erigit, mo-
dò ad patientiam mitigat, modò in prædicationem
instruit, modò ad pœnitentiæ lamenta compungit.
Sed curramus breviter per hæc eadem verba quæ di-
ximus, & videamus quo modo sequuntur rotæ spi-
ritum, qui vitæ spiritus dicitur, & rotis inesse per-
hibetur. Certe si legentis animum spiritus vitæ in
zeli fervore tetigerit, protinus in sacris eloquiis vi-
det, quòd Moyses ad castra rediens, & populum
per idola peccasse cognoscens, hunc per fervorem
spiritus gladii stravit. Quòd Phinees, persequendo
luxuriam, iram Domini gladio placavit. Quòd Petrus
sibimet mentientes, verbo percussit & occidit.
Quòd Paulus negligentibus discipulis virgâ mina-
tur. Si vitæ spiritus legentis animum ad servandam
patientiam tangit, statim sequuntur & rotæ: quia in
sacris eloquiis invenit, quòd Moyses & Aaron cum
loquentes recta, persecutionem populi passi sunt,
ad tabernaculum cucurrerunt, pro ipso populo exo-
rantes quem fugiebant. Sancta autem eorum mens
& tumorem superbientium pertulit, & tamen con-
tra eos ad odium non erupit. Patientia enim vera
est, quæ & ipsum amat quem portat. Nam tolerare,
& odisse, non est virtus mansuetudinis, sed vela-
mentum furoris. In eisdem quoque eloquiis invenit,
quòd Samuel de principatu culmine dejectus,
orasse se etiam pro deicientibus confiteretur. Quòd
nemo sanctorum ad cælestem gloriam, nisi patientiam
servando pervenit. Quòd ipse auctor & redemptor
generis humani, sputa, colaphos, spineam coronam,
crucem, lanceam pertulit, & tamen pro persequentibus
oravit. Si vitæ spiritus legentis animum ad studium
prædicationis excitat, statim sequuntur & rotæ; quia
in sacris eloquiis invenit, Moyses jubente Domino
contra Ægypti Regem in quantis se prædicationis libera
verbis erexit. Quòd Stephanus Judæis perfidis diceret:
Vos semper Spiritui sancto resististis; nec inter lapides Jesu loqueretur,
cum magna libertate respondit: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Quòd Paulus cate-
narum vinculis stringitur, sed tamen verbum Dei non est
alligatum. Si vitæ spiritus ad pœnitentiæ lamenta
compungit, sequuntur protinus rotæ, cum scripturæ
sacræ verba David pœnitentiam profecerunt: quòd &
reprehensus à propheta, quia subiectus cælesti Regi
non fuit, subiecto increpanti non erubuit confiteri quod
fecit. Quòd publicanus, qui reatum suæ nequitie
cognovit, etsi injustus ad templum venit, justificatus
à templo rediit. Quòd Petrus negationis maculas
lacrymis lavit. Quòd latro qui in cruce cognovit
culpam, in ipsa jam morte invenit veniam. De quibus
adhuc rotis eadem Prophetæ replicat, atque subjungit:
*Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & cum elevatis à terra
pariter elevabantur & rotæ, sequentes ea: quia spiritus vitæ
erat in rotis.* Hæc sicut nobis, fratres charissimi, ex
maxima parte jam dicta sunt, sed iterata descriptione
narrantur. Nec nos itaque pigeat eadem breviter
exponendo repetere, quæ spiritus per Prophetam dignatus
est replicando narrare. Hoc enim solum in his
verbis novum additur, quòd dictum est: *Cum stantibus stabant.* Sunt autem
quidam qui usque ad hoc proficiunt, ut terrena
quæ acceperunt, bene dispensare noverint, misericordie
operibus intendant, oppressis subveniant. Hi videlicet
vadunt, in eo quòd se ad proximi utilitatem tendunt.
Cum his ergo rotæ gradiuntur, quia sacra eloquia
dicatorum suorum passus in eorum itinere disponunt.
Et sunt alij, qui in fide quam acceperunt, ita ad
tenendum fortes sunt, ut adversis quibusque resistere
valeant, & non solum minime

ad perversitatem trahantur perfidia; sed etiam
perversa loquentes impugnent, eosque ad rectitudinem
pertrahant. Cum istis stantibus stant etiam rotæ,
quia in eis rectitudinem suam sacri eloquij verba
confirmant, cum in eis audiunt: *Stare, & tenere traditiones
quas didicistis.* Et rursum: *Adversarius vester diabolus,
tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret,
cui resistite fortes in fide.* Et sunt alij, qui omnia
terrena despiciunt; nulla quæ prætereunt, possidere
dignantur, & in Dei se, ut prædictum est, contempla-
tione suspendunt. Cum his ergo elevatis & rotæ pariter
levantur: quia in quantum quisque ad alta profecerit,
intantum ei & sacra eloquia de altioribus loquuntur.
Vadunt ergo animalia ad utilitatem proximi, stant
ad custodiam sui, levantur ad contemplationem Dei.
Sed & rotæ pariter vadunt, stant, levantur; quia
quæ sita sacra lectio talis invenitur, qualis & fit ipse,
a quo quaritur. Ad activam enim vitam profecisti:
ambulat tecum. Ad immobilitatem atque constantiam
spiritus profecisti: stat tecum. Ad contemplativam
vitam per Dei gratiam pervenisti: volat tecum. Et
rursum subditur: *[Quia spiritus vitæ erat in rotis.]*
Quòd idcirco secundo dicitur vitæ spiritus in rotis
esse, quia scripturæ sacræ duo sunt Testamenta,
quæ utraque Dei spiritus scribi voluit, ut nos à morte
animæ liberaret. Vel certè, quia duo sunt præcepta
charitatis, dilectio videlicet Dei, & dilectio proximi,
per quæ utraque nos sacræ scripturæ dicta vivificant.
Secundo ergo dicitur, quòd spiritus vitæ erat in rotis:
quia dilectionem Dei & proximi capimus in eloquiis
divinis. Per præcepta enim scripturæ sacræ reviviscimus,
qui mortui in culpa jacebamus. Unde omnipotenti
Domino per Psalmistam dicitur: *In æternum non
obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.*
Justificationes enim præcepta Domini dicuntur, in
quibus nos corrigendo justificat. De quibus Psalmista
aperitiùs dicit: *In tuis justificationibus meditabor:
non obliviscar sermones tuos.* In eis itaque nos
vivificat, quia per hæc nobis spiritualem vitam
demonstrat, eamque per afflatum spiritus nostris
mentibus infundit. Quòd quia quotidie per donum
gratiæ in electorum mentibus agitur, rectè dicitur:
[Spiritus vitæ erat in rotis.] Hæc nobis scriptura
in tenebris vitæ præsentis, facta est lumen itineris.
Hinc etenim Petrus ait: *Cui benefacitis intendentes,
quasi lucerna lucenti in caliginoso loco.* Hinc
Psalmista dicit: *Lucerna pedibus meis verbum
vultus Domini, & lumen semitis meis.* Scimus
tamen quia & ipsa nobis nostra lucerna obscura
est, nisi hanc nostris mentibus veritas illustret.
Unde iterum Psalmista ait: *Quoniam tu illuminas
lucernam meam Domine, Deus meus illumina
tenebras meas.* Quid enim lucerna ardens, nisi
lumen est? Sed lumen creatum nobis non lucet,
nisi illuminetur à lumine non creato. Quia ergo
omnipotens Deus ad salutem nostram sanctorum
Testamentorum dicta & ipse creavit, & ipse
aperuit, spiritus vitæ erat in rotis. Sequitur:
*[Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi
aspectus crystalli horribilis, extenti super capita
eorum desuper.]* Hæc, largiente Domino, duobus
modis exponemus, ut lectoris iudicio quid eligendum
censeat relinquamus. Possunt enim firmamenti
nomine, cælestes potestates intelligi. Quòd
firmamentum rectè quasi aspectus crystalli dicitur:
quia videlicet crystallum forte quidem nimis est,
sed ex aqua solidatur. Et natura angelica,
quando creata est, liberum arbitrium accepit,
utrum vellet in humilitate persistere, & in
omnipotentis Dei conspectu permanere; ad
superbiam laberetur, & à beatitudine caderet,
per similitudinem aqua fuit. Sed quia cadentibus
aliis, sancti angeli in sua beatitudine
perhiterunt, atque hoc acceperunt in munere,
ut jam cadere omnino non possint, in eis natura sua

Exo. 33. c

Num. 25.

Act. 5. a

1. Cor. 4. d

Num. 10.

1. Reg. 8. b

Exo. 15. d

* ad inter-

ficiunt us-

d. Act. 7. f

Act. 5. e

Philip. 1. c

2. Reg. 12. c.

d. Luc. 18. c

Mat. 26. g

Luc. 23. f

2 Thess. 2. d
1. Pet. 5. cIdem hom.
4. & 8. & 1.2. 4.
Mor. c. 10.

Ps. 118. m

Ibid.

1. Pet. 2. d
Ps. 118.

Psal. 17. e

De pan.
dist. 2. c.citus & l.
27. Moral.
c. 24.Pat. in Gen.
c. 1. & 2.

quia jam dejici mutabiliter non potest, quasi in magnitudinem crystalli durata est. Quod crystallum horribile & extensum super capita animalium dicitur; quia illa potestates angelicæ, quæ omnipotentis Dei conspectui assistunt, nobis adhuc in hac corruptione positæ, terribiles atque pavendæ sunt. Quarum nunc gaudia, quia sensum nostrarum mentium excedunt, super capita animalium esse memorantur. Quis enim in carne corruptibili positus, comprehendere valeat quæ sit illa Angelorum ineffabilis & sine fine lætitia? quæ beatitudo, sine defectu vultum videre creatoris, atque in ejus * delectatione sine immutatione persistere? Potest autem firmamenti nomine, ipse per figuram noster Redemptor intelligi, verus Deus super omnia, & factus inter omnia homo perfectus, in quo nostra natura apud Patrem confirmata est. De quo etiam per

Psal. 79. d Psalmistam prophetando dicitur: *Fiat manus tua super virum dextera tua, & super filium hominis quem confirmasti tibi.* Humana etenim natura priusquam à creatore omnium susciperetur, terra erat: nam firmamentum non erat. Peccatori quippe homini dictum est: *Terra es, & in terram ibis.* At postquam assumpta est ab auctore omnium, atque in cælis sublevata, & super Angelos ducta, firmamentum facta est, quæ terra fuit. Sed firmamentum quod aspicitur, cujus habeat similitudinem, subinfertur, cum dicitur: [*Quasi aspectus crystalli horribilis.*] Crystallum, sicut dictum est, ex aqua congelascit, & robustum fit. Scimus verò quanta sit aqua mobilitas. Corpus autem Redemptoris nostri, quia usque ad mortem passionibus subjacuit, aqua simile juxta aliquid fuit: quia nascendo, crescendo, lassescendo, esuriendo, sitiendo, moriendo, usque ad passionem suam per momenta temporum mobiliter decurrit. Cujus cursum Propheta intuens, ait: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Sed quia per resurrectionis suæ gloriam ex ipsa sua corruptione in incorruptionis virtutem convaluit, quasi crystalli more ex aqua duruit, ut in illo & hæc eadem natura esset, & in ipsa quæ jam fuerat, corruptionis mutabilitas non esset. Aqua ergo in crystallum versa est, quando corruptionis ejus infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis est firmitatem mutata. Sed notandum, quòd hoc crystallum, horribile, id est pavendum, dicitur. Quis autem nesciat cujus pulchritudinis sit crystallum? Et mirum quo modo in hoc crystallo conveniat pulchritudo cum pavore. Sed omnibus vera scientibus constat, quia Redemptor humani generis cum judex apparuerit, & speciosus iustis, & terribilis erit iniustis. Quem enim mansuetum aspiciunt electi, hunc eundem pavendum atque terribilem conspiciunt reprobi. Sed hunc ideo tunc electi terribilem non videbunt, quia modò terrorem illius considerare non cessant. Studiosè enim considerant, quàm terribilis ad iudicium veniat: culpas antea actas desent, imminentes declinant: pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & * quando tremendus appareat, sine cessatione suspensi sunt, atque quotidie timendo agunt, ne quando venerit pertimescant. Similitudo ergo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis. Et quia ipse pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, rectè subjungitur: [*Extenti super capita eorum de super.*] Firmamentum hoc quod in similitudinem crystalli super capita eorum animalium apparet, & horribile & extensum est; quia bonorum mentes unde terret, inde protegit. Si enim pavendus in eorum cordibus non esset, protector & modò à peccatis, & pòst à supplicii non fuisset. Quia autem semper considerant, quis pavor ex iudicio imminet, virtutum pennas in rectitudine conservant. Unde & aptè mox subditur: [*Sub firmamento autem penna eorum rectè alter-*

rius ad alterum.] Tunc pennæ virtutum sub firmamento rectæ sunt, quando bonum quod alter habet, hoc alteri impendit: ut qui terrenam substantiam accipit, indigentis proximi inopiam sublevert: qui doctrinæ gratiâ plenus est, ignorantis proximi tenebras verbo suæ prædicationis illustret: qui temporalis potestate subnixus est, oppressos à violentiis relevert: qui prophetiæ spiritu plenus est, à vita proximi, mala imminetia, bona suadendo, declinet: qui gratiam curationis accipit, intercessionem suam salutis infirmantium piè & humiliter impendat: qui à terrenis actibus liber, soli Deo vacare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Fit autem meruit, pro qui in terrena substantia nimis occupatur, orationi non quantum debet, invigilet. Et fit plerumque, ut B is qui ad exorandum Dominum cunctis mundi oneribus exutus vacat, sustentationem vivendi non habeat. Sed dum dives porrigit alimentum atque vestimentum pauperi, & dum pauper orationem suam animæ divitis impendit, pennæ animalium rectè alterius ad alterum tenduntur. Nam dum ille mihi verbum prædicationis exhibet, & lumine veritatis ex corde meo ignorantia tenebras expellit; dumque illi ego, quia fortasse à mundi hujus potente opprimitur, solatium meæ defensionis imparti, atque hunc de violentis manibus evello, vicissim nobis pennas nostras tendimus, ut nos affectu & ope vicaria, ex bono quod accepimus, tangamus. Unde bene primus pastor admonet, dicens: *Omnium finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus: ante omnia mutuum in vobismet ipsis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitalis invicem sine murmurationibus. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Quod ergo apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum Apostolum accepta gratia dicitur. Et quod ille ait: [*Rectæ pennæ alterius ad alterum;*] hoc Ecclesiæ pastor dicit: *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Pennæ enim nostræ rectæ jam non sunt, si ad utilitatem nostram solummodo reflectuntur. Sed tunc rectæ fiunt, cum in utilitatem proximi dirigimus quod habemus. Quia enim bona nostra non à nobis sunt, sed ab eo hæc accepimus, à quo factum est ut essemus, tantò ea nobis non debemus retinere privata, quantum ea nobis conspicimus ab auctore nostro ad communem utilitatem data. Unde rectè Petrus Apostolus in exhortatione hujus rei subdit, dicens: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Atque adhuc adjicit: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus.* Ac si aptè dicat: *Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vobis non à vobis esse quod habetis.* Quælibet enim penna virtutis cum ad proximum impartiendo tenditur, recta non erit, si humilitate caruerit. Sequitur: [*Vnumquodque duabus alis velabat corpus suum, & alterum similiter velabatur.*] Quia per corpus actio, per alas verò virtutes signentur, supra jam diximus. Et cum dicat: [*Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum.*] querendum est qualiter subditur: [*Vnumquodque duabus alis velabat corpus suum.*] Quia in re hoc patenter indicatur, quia & pennas alias ad alterum tendebant, & tamen duabus alis corpus proprium velabant. Quid est hoc, nisi quia sic debemus virtutes quas accepimus, aliis impendere, ut & ea in quibus peccavimus, non desinamus cautè cogitare, & reatum nostrum quotidie per timorem & pœnitentiam plangere? Duas enim alas superiùs, quibus corpus velatur, timorem & pœnitentiam diximus. Sic ergo in charitate crescimus, ut pennas tendamus in proximos; & nunquã desinamus cogitare & plangere nosmetipsos. Pennæ tenduntur juxta, pennæ cooperiant corpora, ut & de bonis actibus

* al. dilectione.

Psal. 79. d Psalmistam prophetando dicitur: *Fiat manus tua super virum dextera tua, & super filium hominis quem confirmasti tibi.*

Genes. 3. a Peccatori quippe homini dictum est: *Terra es, & in terram ibis.* At postquam assumpta est ab auctore omnium, atque in cælis sublevata, & super Angelos ducta, firmamentum facta est, quæ terra fuit. Sed firmamentum quod aspicitur, cujus habeat similitudinem, subinfertur, cum dicitur: [*Quasi aspectus crystalli horribilis.*]

Hier. in Is. c. 54.

Psal. 18.

* al. quàm

1. Pet. 4. 6

ibid. 1

ibid.

Lib. 31. Mor. c. 6.

* al. & alas

actibus præbeamus exempla, & mala quæ egimus, abscondant à iudicio timor & pœnitentia. In translatione autem veteri de his alis dicitur: *Singulis dua conjuncta, & regentes corpora eorum.* In quibus verbis intelligitur, quia & ipsæ erant pennæ, quæ jungebantur alterius ad alterum, & ipsæ quæ eorum corpora cooperiebant. Quod per figuram bene accipitur, quia illæ nos virtutes apud omnipotentem Deum protegunt, quas ex charitate proximis impartimur, atque jungimus. Cum quibus dum concorditer vivimus, mala quæ fecimus, velamus. Possunt ergo etiam per has alas duo præcepta charitatis intelligi, amor scilicet Dei, & proximi. Amādo enim Deum, nostra in nobis mala persequimur, id est, corpus velamus. Diligendo autem proximum, & ei in quo prodesse possumus festinamus, id est, alas ad alterum tendimus. Hoc autem quod subditur, [Et alterum similiter velabatur,] in translatione veteri non habetur. Et quæri potest, cur postquam dictum est: [Unumquodque duabus alis velabat corpus suum,] subjungitur: [Et alterum similiter velabatur.] Translationem autem Septuaginta interpretum, Aquilæ, Theodorionis, & Symmachi sollicitè perscrutantes, nihil ex his verbis invenimus: sed beati Hieronymi scripta relegentes agnovimus, quia hanc sententiam in Hebræa veritate ita positam, non quidem juxta verbum, sed juxta sensum, invenerit. Quæri etenim potest cur postquam dictum est: [Unumquodque velabat corpus suum,] statim subditur: [Et alterum similiter velabatur.] Si enim diceret unum & alterum, loquendi ratio stare. Postquam verò dictum est, unumquodque, cur adjicitur, alterum, cum in unoquoque omnes comprehenduntur? Sed si & perfectorum vitam, & proficientium merita distinguimus, & unumquodque & alterum non irrationabiliter positum videmus. Qui enim & sua desunt, & virtutum pennas ad proximos in exemplum tendunt, proculdubio perfecti sunt. Sunt autem plerique parvulorum, qui eorum lacrymas conspiciunt, & imitantur. Et qui nudi in suis pravitatibus esse potuissent, sanctos vigilantioresque viros considerant: moxque suis pravitatibus irati, accenduntur ut plangant, & inflammantur ad pœnitentiam. Atque ut velare sanctos corpora sua conspiciunt, ita ipsi quoque lacrymarum suarum alis velantur. Se ipsos enim magnis increpationibus feriunt, cur qui virtutes non habent, peccata sua minimè deplorant, si adhuc & illi plangere non desinunt, qui jam virtutum pennas per exempla ad proximos tendant. In quibus verbis necesse est, ut nos qui parvuli adhuc sumus, perfectorum semper & virtutes & lacrymas ante mentis nostræ oculos ponamus. Imitemur quæ in illis aspiciamus, ut dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus, velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia habemus sacerdotem in calis, qui interpellat pro nobis. De quo etiam per Joannem dicitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce exultat animus, cum advocati nostri potentiam audimus. Sed exultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis advocatus est, dicitur justus. Nos enim causas injustitiæ habemus, justus verò advocatus injustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid ergo agimus, & accusamus. Scriptum est: *Iustus in principio accusator est sui.* Quilibet etenim peccator conversus in fletibus, jam justus esse inchoat, cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit, qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit?

S. Greg. Tom. I.

A Justus igitur advocatus noster justos nos defendet in iudicio: quia nosmetipsos & cognoscimus & accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus: Qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

HOMILIA VIII.

Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonitus castrorum: cumque starent, dimittebantur pennæ eorum. Nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas. Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis saphiri, similitudo throni: & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus per circuitum, à lumbis ejus & desuper: & à lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluvie. Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Et hæc visio similitudinis glorie Domini. Et vidi, & cecidi in faciem meam.

Quod per exempla justorum multi proficiant, superioris locutionis fine tractatum est. Atque hoc ipsum Propheta nobis certius aperit, cum his quæ dixerat, adjungit: [Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum.] Solent in sacro eloquio per aquas, populi designari. Unde per Joannem dicitur: *Aquæ verò sunt populi.* Idcirco autem aquis populus designatur, quia & in vita sonum habet ex tumultu carnis, & quotidie defluit ex decursu mortalitatis. Ut autem sæpe jam diximus, alæ sunt animalium, virtutes sanctorum. Quid est ergo quod Propheta alarum sonum audit quasi sonum aquarum multarum, nisi quod ex omnipotentis Dei pietate illæ alæ virtutum, quæ in paucis prius sanctis sonabant, jam nunc prædicatione diffusa, in multorum populorum conversatione resonant? Incarnato enim, passò, ac resurgente Domino, pauca pennata animalia fuerunt: quia rari valde extiterunt, qui cælestia desiderarent, & virtutum pennis se in alta suspendere. Sed postquam divinitatis ejus prædicatio in mundo diffusa est, quanti jam parvuli, quanti graviore, quanti fortes juvenes, quanti imbecilles, quantæ convulse peccatrice, quantæ annoxæ, virgines per fidem, per spem, per amorem ad cælestia evolant, quis dicere, quis æstimare sufficiat? Ecce alarum sonitus, qui prius in paucis animalibus fuit, jam nunc in populis resonat, jam nunc mundi multitudinem ad cælestem desiderium pennæ virtutum levat. Bene ergo dicitur: [Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum:] quia sicut præfati sumus, ille virtutum sonus qui in aurem Dei prius ex paucis sanctis factus est, postmodum ex aquis multis, id est, ex innumerabilibus est populis multiplicatus. De quo sono adhuc bene additur: [Quasi sonum sublimis Dei.] Quid est quod alarum sonus in sanctis animalibus quasi sonus sublimis Dei dicitur, nisi quod omnipotens

F F ff

* al. deflunt.

1. Joan. 2. 1

Prov. 18. 1

S. Bonav.

Phar. c. 267

Apoc. 17.

Idem l. 17.

Mor. c. 10.

Ez. 19. c. 23.

Et 26.

Hier. in 1^a.

c. 4. Et in

Ezech. 10.

Aug. cont. 6.

Per. c. 35.